

9

Prouincialatus, super quo conscientiam P. Prouincialis pro tempore aggrauamus.

3. Nullus ad habitum recipiatur, qui ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus summorumq; Pōtificum constitutionibus præscriptas non habeat. Mandamusque sub pēna absolutionis ab officio omnibus Patribus Prioribus, ne nouitios clericos, pueros, vel proffessos occupent in officijs manualibus ad laycos pertinentibus: sed in alijs, eorum instituto congruentibus.

4. Lectio casuum conscientię in singulis conuentibus, præcipue vbi non sunt aliæ lectiones scholasticæ, habeatur, ad quam fratres omnes conueniant, eaquē absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam se se vtiliter exercent.

5. Petitiones graduandorum non fiant per priuatas literas, sed in Capitulo Prouinciali exponantur Reuerendissimo Magistro ordinis, habito prius consilio a P. Prouinciali, cum diffinitoribus, assumptis etiam pro voto consultiuo nouem Magistris antiquioribus, scilicet tribus eorum ex vno quoque regno, videlicet Cathalonie, Aragonie, & Valentie, & Patribus qui fuerunt Prouinciales. Qui omnes, examinatis diligenter etate, scientia, morum integritate, & alijs requisitis, nō nisi idoneos & qui sint ætatis saltē quadraginta annorum petant, memores diuini iudicij, & impositarum pœnarum & præceptorum in Capitulis Generalibus.

6. Prædicatores Generales instituantur solum in Capitulo Prouinciali, quando loca sunt actualiter vacantia, iuxta formam nostrarum cōstitutionum, & nullus gaudeat voce in Capitulo Prouinciali qui non moretur in suo conuentu, pro quo est institutus iuxta ordinata in Capitulo Romano, nisi fuerit in aliquo officio actualiter occupatus.

7. Præcipimus Patribus Prioribus sub pœna absoluti-
tionis ab officio, ne a suis conuentibus se absentent,
nisi urgente maxima necessitate, quæ si aliquando con-
tigerit, non assumant pecunias pro itinere, nisi congre-
gatis Patribus a Consilijs, quibus statim post regressum
reddant rationem de expensis factis.

8. Admonemus omnes tam Prælatos quam subdi-
tos vt obseruent ordinationes Capitulorum Genera-
lium, & præsertim Capituli Venetijs celebrati 1592.
quo disponuntur omnia de mandato Sanctissimi, quæ
sunt necessaria pro cura monialium habenda, & earum
salute & vita spiritali instituenda: & transgressores
pœnis ibidem contentis subijciantur. Volumus autem
vt Confessarij & Vicarij monialium, & Priores conuen-
tuum quibus cura monialium incumbit, sint adminus
quadraginta quinque annorum, & quorum vitæ inte-
gritas nota sit: neque prædicti Confessores & Vicarij in
huiusmodi officijs vltra biennium perseuerare possint,
neq; etiam ad eadem officia deputari, nisi post trien-
nium. In absentia Priorum, ipsimet confessarij, non
autem Supprios conuentuum, remaneant Vicarij mo-
nialium, nec alij se ingerant in negotijs earundem. Prio-
res autem Prouinciales non se intromittant in electio-
nibus Priorissarum, neque ipsi neque alij visitatores, in
suis visitationibus audiant moniales ad fenestellam
cõmunionis: neque ipsemet moniales loquantur ex
prædicta fenestella cum quavis persona cuiuscunque
gradus, & conditionis, neque etiam causa confessio-
nis sacramentalis. Insuper mandamus, ex ordine ex-
presso sacræ Congregationis regularium, vt nulla mo-
nialis transferatur sub quouis prætextu de vno mo-
nasterio ad aliud, sub pœnis contentis in Bulla Pij. V.

9. Admonemus P. Prouinciales pro tempore, eorum
conscientiam aggrauantes, & sub pœna absoluti-
ab of;

ab officio, ne voluntates vocalium vlllo modo flectere, sollicitare, inducere, vel violare procurent, directè vel indirectè, per se, vel per alios, pro electionibus Priorum, sed ipsos in sua mera libertate relinquunt. Quod idem mandamus socijs eorundem Prouincialium pro tempore, sub pena priuationis vocis actiua, & passiva. Nolumus autem vt Priorem vllum etiam canonicè electum confirmare possint, quem de cōsilio patrum cognouerint non posse commodè sequi communitatem, & Chorum die noctuque, & communibus cibis cum ceteris fratribus in refectorio vesci: & si qui tales sint iam in officio, absoluantur. Priores autem omnes, grauiora negotia cōuentuum non agant sine Patrum consilio, nec antequam congregentur dicti Patres practinent negotium, neque suam prius explicent intentionem.

10. Ordinamus vt Priores electi non confirmentur a Prouinciali nisi de consilio Patrum grauiorum per vota secreta, nec aliter Priores a suis officijs possint absolui.

11. Ad bonum regimen subditorum & totius Religionis, in meritū sanctæ obedientiæ sub formali precepto mandamus, & sub pena grauioris culpæ, cui transgressores esse ipso facto obnoxios ex nunc pro tunc decernimus & declaramus, ne quis scilicet, audeat detinere vel intercipere literas ad Magistrum ordinis vel ad Patrem Prouincialem huius Prouinciæ directas, vel ab ipsis ad subditos scriptas, sed absque vlla fraude & dolo illas libere mittant, quicumque eas receperint.

12. Pro studiorum promotione ordinamus, & volumus quod in studijs Generalibus Regens sit iam Magister in Theologia, qui in scholasticis versatus studiū laudabiliter, & sapienter regat, cuius officium erit pri-

nam & digniorem legere lectionem, circulis & conclusionibus assistere, & Magistraliter decisionem ferre, postquam omnes silebunt, & eidem decisioni stabunt. Habebitque idem Regens facultatem imponendi penitentias studentibus negligentibus, & in lectione minus religiosè se habentibus. Quod si aliquis Magister in Regentem institutus, legere recusauerit, nulla exemptione, nulloque gaudeat priuilegio.

Confirmamus omnes ordinationes factas pro bono regimine spiritali & temporalis, & pro regulari obseruantia huius nostræ Prouinciæ a nostris prædecessoribus, quæ his nostris minime aduersantur, & reuocamus omnes licentias à quocunque nostro inferiori, etiam a nobis concessas, quatenus in aliqua parte his ordinationibus essent contrariæ: mandantes P. Prouincialibus pro tempore sub pœna absolutionis ab officio ut hic contenta obseruent & obseruari faciant. Patti verò Prouinciali moderno præterea mandamus, ut in omnibus huius Prouinciæ conuentibus, quam primum hæc publicari faciat. In nomine Patris & filij & spiritus sancti Amen.

In quorum fidem his nostro sigillo munitis manu propria subscripsimus. Dat. in nostro Conuentu Sanctæ Catharinæ Mart. Barchinonen. die 19. Augusti. 1619.

Fr. Seraphinus qui sup. &c.



Reg. fol. 89.
F. Lo Vincentius de Valentia
lector & socius.